Quod autem ait iuxta ebraicum. inde supplices mei filia disperso
rum meorum deferent munus mihi. huiusmodi est; o israhel
o sinagoga quondam filia. quam in toto orbe dispersi. licet
inuideas. licet emulatione crucieris. tamen de ethiopia
mihi uictimę deferentur. Id est de gentilium populo. In die
illa. id est. quando gentium crediderit multitudo. et iam
non tu penitus confunderis. super cunctis erroribus tuis qui
bus preuaricata es in me. eligendo barabban. et dei fi
lium crucifigendo; tunc auferam de medio tui scribas
et sacerdotes et phariseos. magniloquos superbię tuę. et ne
quaquam te in monte sancto meo. ultra iactabis. sed habebis
populum pauperem. homines inlitteratos et piscatores.
qui sperabunt in nomine domini reliquię israhel; non multi
tudo quę clamauit crucifige crucifige eum. non ponti
fices et optimates. sed reliquię. nequaquam facient ini
quitatem. nec loquentur mendacium. in xpo pauperi
tatis credentes; nec inuenietur in ore eorum lingua dolo
sa. scientes quod omne mendacium de diabolo est; quando ipsi
pascentur et dicent. dominus pascit me. et nihil mihi deerit.
in loco pascuę ibi me collocauit. super aquam refectionis
educauit me. animam meam conuertit; et non erit qui
exterreat. uincente fide credentium persecutorum
superbiam; hoc de primo aduentu xpi intellectum
sit quod iudei sibi in fine promittunt;

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 123, p. p.%20236 – Hieronymus, Commentarii in Ionam, Naum, Sophoniam, Aggaeum (http://www.e-codices.ch/en/csg/0123/p.%20236)